

*Ilsung.*, loco *baptizo* dicunt *baptozo*, vel qui mutant litteras, O pronunciando ut A v. g. Ego te *absalvo* etc.

38. III. Substitutio scriptoris, nutuum, aut aliorum signorum pro verbis facit mutationem substantialem in omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio, ut infra dicemus.

39. IV. Juxta dicta n. 11. non valet Sacramentum, si materia applicetur ab uno, et forma pronuncietur ab altero; quia hoc modo sensus formae est falsus; alter enim non faceret id quod dicit se facere, alter vero non pronunciaret formam. *Excipe* 1. Sacramentum Eucharistiae, ubi unus potest consecrare hostiam, alter vinum, si primus fieret impotens. 2. *Excipe* Sacramentum Ordinis; potest enim unus Episcopus conferre potestatem consecrandi, alias absolvendi, quia in utroque hoc sacramento sensus, et veritas harum formarum partialium non dependent essentialiter ab invicem. Idem dicemus de Sacramento Extremae Unctionis. Vide *La Croix* L. 6. p. 1. n. 33. cum *Dicast.* et *Bernal.* et supra n. 11.

40. V. Si minister debitam materiam adhibeat, et formam rite proferat cum intentione faciendi, quod Christus instituit, vel quod Ecclesia Christi facere intendit, *per se loquendo* vere conficit Sacramentum, quamvis ille privato errore contra veritatem Sacramenti laboret. Sic valide consecrat Sacerdos, qui super panem triticeum, et vinum de vite legitima verba utriusque consecrationis pronunciat; etsi erronee putet in consecratione hostiae *to meum* significare suum, h. e. Sacerdotis corpus, vel in consecratione calicis *to Hic* significare adverbialiter, sive hoc loco. Partiter valide consecrant Graeci, etiamsi putent verba illa, *quod pro vobis tradetur*, quae solent addere in consecratione hostiae, esse de essentia formae, et solum panem fermentatum esse materiam primae consecrationis, velintque forte hunc ritum in Ecclesiam Latinam etiam inducere. *Ratio horum est*: quia licet Minister errorem privatum speculativum habeat, aut privatam intentionem novi ritus, hic tamen error et intentio, cum saltem implicite conditionata sit, et nitatur supposito falso, ideo superatur ab altera generali intentione absoluta, faciendi nempe, quod Christus instituit. Ita *Laym.* L. 5. t. 1. C. 4. n. 5.

41. Nec dicas: Zacharias Papa cit. n. 34. respondit, baptismum sub forma *in nomine Patria* etc. fuisse validum, *si baptizans noluerit inducere errorem*: Item *S. Thom.* P. 3. q. 60. a. 8. in corp. ait: *Et ideo si intendat per hujusmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum: ergo.* R. Uterque tantum innuit, incertum esse, an talis Minister habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, et consequenter, si haec intentione desit, Sacramentum esse nullum, quod utique verum est. Responso patet ex contextu *S. Th.*; ibid. enim addit: *non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere id quod facit Ecclesia.* Dixi supra, *per se loquendo*. Nam in eo casu Sacramentum esset nullum, 1. si Minister errorem suum, aut pravam intentionem tam absolute haberet, ut positive nollet facere, quod Christus instituit, aut quod facit Ecclesia. 2. Si expressa intentione efficaciter contraria excluderet veritatem Sacramenti, v. g. si absolute nollet aliter consecrare, quam per *Hic* adverbialiter sumptum, hoc casu Sacramentum esset nullum non ex defectu materiae vel formae, sed ex defectu intentionis. 3. Si formae aliquid adderet, quo illius substantia mutaretur. Vide n. 32. et *Suarez* hic D. 2. q. 60. a. 8. Sect. 5.

CAPUT II. *De Ministro Sacramentorum.*§. I. *Praenotanda.*

42. Praenot. I. Dum hic quaerimus de causa efficiente Sacramentorum, non agimus de eorum Institutore; de fide enim est, omnia Sacraenta N. L. a Christo D. fuisse instituta, ut constat ex Trid. Sess. 7. can. 1. cit. num. 2. Sed agimus de Ministro Sacramentorum, sive de eo, qui operans nomine Christi Sacramentum conficit. In hoc spectari debet 1. *Persona*, et *officium* sive potestas. 2. *Intentio*. 3. *Sanctitas*, sive status gratiae.

43. II. *Intentio* in genere est voluntas aliquid operandi. Hic sumitur pro voluntate conficiendi Sacramentum, quae potest habere triplex objectum; *primum* est actio praecise externa; unde quaeritur, an sufficiat intentio ponendi praecise actum externum, sive ceremonias externas. *Secundum* est effectus Sacramenti. *Tertium* est facere, quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia.

44. III. Intentio *primo* alia est *actualis*, quae in genere est praesens actus voluntatis, quo quis vult aliquid. Hic sumitur pro actu voluntatis advertenter et perceptibiliter imperante confectionem Sacramenti. Alia *virtualis*, quae est actus voluntatis praeteritus, non revocatus, et simul permanens in una serie actionum, quae pertinent ad finem intentum. Haec re ipsa est prior intentio actualis, adhuc tenuiter et imperceptibiliter durans, et influens in actionem vi intentionis actualis antea coeptam; ideo alii intentionem actualem dividunt in formalem et virtualem: quia virtualis in se est vere actualis, sive actus tenuis et imperceptibilis adhuc existens in virtute sua h. e. vel *in se*, sed tenuiter, ut ait *Lugo*; vel *in applicatione potentiarum externarum*, ut vult *Suar.* et alii apud *Lohner*, de Sacram. in gen. a. 1. q. 43., vel *in applicatione aliqua ab appetitu sensitivo causata*, ut ait *Haunold*, vel saltem in aliquo suo effectu. Vide *La Croix* L. 4. n. 1324. Intentio virtualis tamdiu censemur perseverare, quamdiu actualis formalis non revocatur, et simul ponuntur media ad intentum finem: v. g. si Sacerdos facta intentione celebrandi missam eat ad sacristiam, lavet manus, se induat paramentis etc., quin repetat sub his actionibus perceptibiliter actualem intentionem celebrandi; nihilominus prudenter dicitur vi prioris intentionis haec omnia agere, et pergere in operando ad finem per formalem intentionem imperatum. Alia *habitualis*, quae est ipsa intentio actualis praeterita, praecise prout nequid est retractata, neque tamen in se, neque in sua virtute, vel aliquo effectu a se relicto existit, et per hoc differt a virtuali; talis potest esse in ebrio aut dormiente.

45. Secundo. Intentio alia est *interpretativa*, quando quis actualem voluntatem conficiendi Sacramentum, vel ex alio fine operandi nec habet, nec habuit, est tamen ita comparatus animo, ut eam haberet, si de ea cogitaret. Alii cum *Laym.* et *Pontas V.* Intentio cas. 1. habitualem confundunt cum interpretativa: hi enim habitualem definunt esse habititudinem seu facilitatem habendi intentionem, aut exercendi actiones ex intentionibus factas. Alii habitualem sumunt pro virtuali. Praecipue notandum, quod intentio actualis alia sit *directa* sive *exercita*, dum quis vere et actualiter habet voluntatem faciendi id quod facit, quamvis per alium actum reflexum non advertat talem voluntatem. Alia *reflexa*, dum quis reflexe cognoscit, se habere seriam voluntatem, hoc vel illud agendi. *Directa* alio sensu est illa, qua aliquid formaliter et in se intenditur, sic opponitur *indirectae*, per quam intenditur aliquid in alio, ex quo illud secuturum cognoscitur: v. g. si quis intendat ebrietatem, ex qua praevideat secuturum homicidium.

46. Tertio. Intentio explicita est, qua aliquid in se et sub sua specifica ra-

tione cognitum volumus, ut si quis volens baptizare dicat: *Ego te volo baptizare. Implicita*, qua quis aliud intendit non expresse cogitans de illo, sed de alio in quo illud continetur, seu cum quo connexum est vel naturaliter vel per legem; sic qui vult subdiaconatum, cognoscens saltem in confuso, quod aliqua onera gravia sint illi annexa, implicite intendit ferre illa onera, scil. servare castitatem, et recitare breviarium, quamvis expresse de iis non cogitet. Ita *Gobat* in *Exper.* t. 1. n. 66. ubi n. 73. addit: unde Turca baptizans in extrema necessitate infantem habet implicite intentionem Sacramentum Baptismi conferendi, modo dicat: *Volo nunc facere id, quod in tali casu faciunt Christiani*, licet ipse non cogitet hanc ablutionem sub his verbis, quae supponitur rite pronuntiare, esse Sacramentum.

47. Quarto. Intentio alia est *absoluta*, qua quis vult aliquid sine omni conditione: alia *conditionata*, qua quis aliquid vult sub conditione vel de praesenti, vel de praeterito, vel de futuro. Porro conditio alia est *intrinseca*, sine qua non conficitur Sacramentum; ut, *baptizo te, si es homo*: haec inest omni Sacramento. Alia *extrinseca*, quae potest abesse, v. g. *baptizo te, si sis masculus*.

§. II. *Principia generalia de persona, intentione et sanctitate Ministri Sacramentorum.*

48. *Principium I. Ordinarius Sacramentorum Minister est solus homo viator; non tamen quilibet homo est cuiuslibet Sacramenti Minister. Ratio primi est*; quia Christus instituens Sacra menta, et eorum Ministros designans, solis hominibus viatoribus locutus est. 1. *Cor.* 4. de solis hominibus, scil. de se et caeteris Apostolis ait S. Paulus: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Matt.* 28. 19. Solis hominibus dixit Christus: *Euntes ergo etc. Luc.* 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*; et sic de aliis. *Confirm.* 1. ex *S. Th.* qui *P.* 3. q. 64. a. 7. in corp. ait: *Ad homines pertinet dispensare Sacra menta et in eis ministrare, non autem ad Angelos.* Si quando Angeli aut Beati administrarint, aut confecerint Sacra menta, id potestate extraordinaria, et ex speciali voluntate divina valide fecerunt. *Bonac.* disp. 1. q. 3. p. 1. n. 9. *Secunda Pars* constat ex *Trid.* Sess. 7. can. 10. de *Sacram.* in gen. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacra mentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Quis autem sit minister singulorum Sacra mentorum, in *Tract.* 2. dicemus.

49. *Princip. II. Ad valorem Sacra menti necessarium est, ut minister habeat intentionem vel conficiendi Sacra mentum, vel saltem faciendi, quod facit Ecclesia: sufficit autem intentione virtualis; habitualis vero non sufficit, nec interpretativa. Primum constat ex *C. Flor.* cit. n. 5. et ex *Trid.* sess. 7. can. 11. de *Sacram.* in gen. *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacra menta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* *Ratio S. Thom.* l. c. a. 8. in corp. est, quia materia et forma Sacra mentorum de se sunt indiferentes ad esse Sacra menti: ergo ad illud per aliquid debent determinari: atqui non per aliud, quam per intentionem Ministri; ergo. *Confirm.* ex eo, quod sine intentione non administrentur Sacra menta modo humano.*

50. *Secundum probatur*: licet actualis formalis sit optima, est tamen moraliter impossibile tota durante actione Sacra mentali, semper habere formalem et expressam intentionem; cum etiam inviti saepe obruamur distractionibus: adde, quod obligatio habendi formalem et expressam intentionem exponeret Ministros infinitis scrupulis, ac propter infirmitatem humanam, et involuntarias distractiones saepissime valor Sacra mentorum,

et salus proximi plurimum periclitaretur; ergo credibile non est, Christum cum tanta difficultate, et incertitudine Sacra menta instituisse. *Confirm.* 1. Virtualis intentio communis modo operandi hominum maxime est accommodata; praeterea non est justo difficilior, sed est in morali potestate operantis; denique suo influxu sufficienter praestat, ut operatio ministri sit liberata et humana; ergo merito censemur sufficere ex institutione Christi. *Confirm.* 2. Nemo prudenter in maximis negotiis requirit, ut operans durante negotio perceptibiliter actu cogitet, vel dicat: *Ego jam hoc ago, vel serio jam volo hoc agere*: ergo etiam nemo prudenter requiret, ut Minister Sacra menti, dum se praeparat, et ipsum Sacra mentum administrat, semper intentionem actualem perceptibiliter habeat; sed sufficit, si habita seria voluntate vel conficiendi Sacra mentum, vel faciendi nunc quod facit Ecclesia, eo, quo vocatur, se conferat, paramentis se induat, necessaria conquirat, ipsum opus aggrediatur, et si forte mente distrahitur, ab opere coepio non desistat, sed pergit, et modo humano attendat ad id, quod agit: atqui sic agit, qui Sacra mentum administrat cum intentione virtuali: ergo. *Confirm.* 3. ex *S. Th.* p. 3. q. 64. a. 8. ad 3. ubi ita habet: *Licet ille qui aliud cogitat, non habeat intentionem actualem, habet tamen intentionem habitualem* (NB. Juxta Cajetanum s. Doctor hic habitualem sumit pro virtuali juxta usum loquendi illius temporis, ut patet ex contextu) *quae sufficit ad perfectionem Sacra menti: puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia* (ecce intentionem actualem), unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur Sacra mentum (ecce virtuale), quamvis studiose curare debeat Sacra menti Minister, ut etiam actualem intentionem habeat; sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud *Psal.* 39. *Cor meum dereliquit me.*

51. *Prob. Tertium.* Actio Sacra mentalis debet esse actio humana, cum sit actio Ministri agentis nomine Christi, et prudenter dispensantis ejus mysteria; atqui actio quae exercetur cum intentione mere habituali non est humana ac deliberata; supponitur enim nullum actum voluntatis in eam influere: ergo cum intentione mere habituali non potest esse actio Sacra mentalis. *Confirm.* 1. Intentio pure habitualis etiam potest esse in amente, ebrio aut dormiente, quin tunc actio humana ponatur vi talis intentionis: ergo intentio habitualis non sufficit ad validam Sacra mentorum administrationem. *Confirm.* 2. Intentio habitualis nec manet in se, nec in sua virtute: ergo nec potest influere et causare actiones externas modo humano et rationali ponendas nomine et auctoritate Christi. Aliqui excipiunt Sacra mentum Matrimonii, de quo infra. *Sotus, Lugo, Tann.* *Gobat.* T. 1. *Exper.* Sect. 3. a n. 74.

52. *Prob. Quartum.* Intentio interpretativa non est intentio, sed esset, si de ea cogitaretur: atqui intentio, quae non est, non potest esse causa actionis moralis ac humanae, quale est Sacra mentum: ergo. *Antoine tr. de Sacram.* c. 2. q. 2. R. 3.

53. *Neque dicas 1.* Intentio habitualis sufficit ad applicationem sacrificii cras celebrandi, item sufficit ad valide recipienda Sacra menta: imo ad recipiendam extremam unctionem sufficit interpretativa: ergo etiam ad conficienda Sacra menta sufficit. R. ad 1. N. conseq. disp. est: quia applicatio sacrificii se habet ut donatio conditionata, v. g. cedo tibi fructum sacrificii, si cras celebravero; donatio autem talis impleta conditione transit in absolutam, et donatarium facit dominum rei, etsi actus donationis physique non amplius existat dum impletur conditio. Intentio autem pertinet

ad confectionem Sacramenti; ergo ut possit causaliter influere, debet saltem in sua virtute existere, dum fit Sacramentum. Ita *Viva* p. 2. de Sacrament. disp. 3. q. 2. a. 3. contra *Vasq.* qui negat antecedens. R. etiam ad 2. et 3. Suscipiens se habet passive, nec operatur nomine Christi; ergo minor advertentia in eo requiritur; Minister vero se habet active, et quidem ut operans nomine Christi, adeoque in eo requiritur major advertentia et libertas.

54. *Princip. III.* Ad Sacramentum valide conficiendum non requiritur in *Ministro fides*, nec sanctitas sive status gratiae; hic tamen requiritur ad Sacramentum licite conficiendum; unde per se loquendo peccat mortaliter, qui conficit Sacramentum in statu peccati mortalis tanquam Minister ad id consecratus, vel specialiter ab Ecclesia deputatus. Primum patet ex *Trid. Sess. 7. Can. 4. de Bapt.* Si quis dixerit, *Baptismum*, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit. Ibid. Can. 12. de Sacrament. Si quis dixerit, *Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Ratio autem est: quia Sacraenta virtutem suam habent ex meritis Christi, suntque moraliter actiones Christi: ergo valorem suum non habent a sanctitate Ministri secundarii, qui tantum operatur in virtute Christi, ut ait *S. Thom. l. c. a. 9. Conf. 1. ex 1. Cor. 3. ubi reprehendunt aemulantes de praecellentia Ministrorum: Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis. Confirmat. 2. ex *S. Greg. Naz.* qui Orat. 40. in *S. Bapt.* ait: *Sicut non refert, an sigillum sit aureum vel ferreum, quo fit potestas aut Regis gratia: an Medici manus sit sana, vel infirma, quae medicinam applicat; ita non refert, an Minister nobis per Sacraenta applicans merita Christi sit fidelis vel Sanctus.* Hinc PP. si alicubi dicant, haereticos esse rebaptizandos, loquuntur de iis, qui non sunt baptizati adhibita debita materia vel forma.*

*Prob.* etiam secundum ex *S. Thom. p. 3. q. 64. a. 6. in corp.* ubi ait, conveniens esse, ut Sacramentorum Ministri sint justi, quia Ministri debent Domino conformari secundum illud Levit. 19. *Sancti eritis, quoniam Ego sanctus sum...* et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se *Ministros Dei et Ecclesiae, in dispensatione Sacramentorum peccent.* Et quia hoc pertinet ad irreverentiam Dei (quatenus scil. mancipium diaboli, et hostis Christi vult sustinere personam Christi in sanctissima actione Christi) et contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licet Sacraenta secundum se incontaminabilia sint; consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale, et quidem Sacrilegii, eo quod sancta indigne tractet in re gravi. *Confirm.* 1. *S. Paulus ad Tit. 1.* ait: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem;* ergo et alios dispensatores mysteriorum Dei oportet esse sine crimine. *Confirm.* 2. ex *Rituali Romano: Impure, et indigne Sacraenta ministrantes in aeternae mortis reatum incurront.* Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscientius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat: sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenient confiteri. Vide etiam *Trid. sess. 14. c. 6.*

55. *Adverte:* Quae dicta sunt de sanctitate Ministri, intellige de *Ministro solemnitatis*, h. e. de eo, qui ratione certi officii, et specialis consecrationis ad Sacraenta administranda deputatur, qualis est *Episcopus ordinans*, *Sacerdos consecrans* etc. *Minister autem necessitatis* est, qui in casu necessitatis Sacramentum administrat, licet ad tale ministerium neque ex offi-

cio, neque ex speciali consecratione sit deputatus, qualis est quilibet Laicus in necessitate baptizans. De hoc ait *Laym. lib. 5. t. 1. c. 5. n. 9.* Si Laicus, vel alius Clericus, praeter Sacerdotem, in casu necessitatis baptizet cum conscientia peccati mortalis, non videtur plus, quam venialiter peccare. *Ratio* est, quia Ministri necessitatis non vi officii, et ordinationis ac status, sed per accidens et quasi permissive tantum propter necessitatem Sacramentum ministrant: ergo non videtur ex hoc titulo illis imposita gravis obligatio ministrandi Sacramentum in statu gratiae. Contrarium docent *Gabr.*, *Vasq.*, *Lugo*, et alli graves AA. eo quod talis actio moraliter non minus sit actio Christi, et quod sancta sancte a quilibet, a nullo autem indigne et irreverenter tractanda sint; unde stante utriusque sententiae probabilitate, pro praxi Laici bene instruendi sunt, ut in casu necessitatis baptizantes prius eliciant contritionem perfectam.

56. *Sed Quid?* Si Sacerdos ob repentinam necessitatem ita urgente, ut non supersit spatium elicienda contritionis, statim debeat baptizare, aut absolvere? R. In tali casu per accidens excusabitur a peccato mortali. Ita expresse *S. Thom. l. c. ad 3. ubi simul confirmat responsionem n. praeced. datam: In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset baptizare Laicus: sic enim patet, quod non exhiberet se Ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti.* Eodem modo excusari potest a gravi peccato, qui vel ignorat, vel non cogitat, se esse in statu peccati, dum Sacramentum administratur.

### §. III. Resolvuntur Casus de Intentione Ministri.

#### CASUS I.

*Juxta Martyrologium Romanum 25. Aug. Genesius, cum in theatro coram Diocletiano mysteriis Christianorum illuderet, et mimice baptizaretur ab alio mimo, inde sanctificatus est, et postea martyr obiit.*

57. *Q. I.* An valeat Sacramentum collatum a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia? R. Non valet. Vide *Propos. 28. ab. Alex. VIII. damnatam: item Can. 11. Sess. 7. n. 49. cit.* Denique idem *Trid. Sess. 14. c. 6. declarat*, poenitentem non esse vere, et coram Deo absolutum, si sacerdoti animus serio agendi, et vere absolvendi desit, et postea subjungit: *Nec is esset, nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem joco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requereret.* Eadem est ratio de caeteris Sacraementis. Ex quibus infertur, quod non sufficiat sola intentio ponendi caeremonias externas; alias posset confici Sacramentum etiam cum intentione opposita non faciendo, quod facit Ecclesia, quod in *cit. propos.* est damnatum. Praeterea intentio faciendo rem indifferentem ad esse Sacramentale non est sufficiens ad valorem Sacraementi; atqui sola intentio peragendi eos ritus et externas caeremonias mere materialiter est intentio faciendo rem indifferentem ad esse Sacramentale: ergo non sufficit. *Confirm.* ex *Decreto Leonis X. ubi hic 12. Art. Lutheri damnatur: Si confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credit se absolutum, verissime est absolutus.*

58. *Q. II.* Unde ergo baptismus mimice collatus vim suam obtinuerit? R. *Martyrologium Romanum nullibi baptismo mimice collato vim tribuit, sed asserit tantum, Genesium, cum illuderet mysteriis Ecclesiae, ex instinctu divino subito immutatum, et rite postea baptizatum, ac martyrio coronatum fuisse.* Juxta alios si baptismus sine intentione collatus fuerit, Genesius non vi illius baptismi, sed vi amoris divini, quo ille subito divina